


BIBLIOTEKA


Zakl. Nar. im. Ossolińskich

XVII

834

2.410





M. T. CICE-
RONIS
ARATVS.

*Ad Gracum exemplar expensus, & locis
mancis restitutus.*

A

IOAN: COCHANOVIO.



Cum Gratia & Priuilegio S. R. M.

CRACOVIAE.

*Ex officina Andreae Petricouij, S. R. M.
Typographi.*


Anno Domini, M. DC. XII.

2.110



XVII - 834 - III

AD LECTOREM BENEVOLVM.


 VMhanc Ciceronis Phanomenon paraphrasim per otium relegerem: eamq; capite quasi, & cauda detruncatam viderem: cetera integra esse ratus, coepi de restituendis iis, qua deerant, cogitare. Nec sanè vllam inuidiam eo nomine me subiturum existimaui, si ad illustrandum, aut potius rescindendum hoc poemation, in quo ante me quoq; alij elaborassent, ipse etiam qualemcunq; operam attulissem. Inuitabat me primum facilitas operis: quod & pauciora iis, qua superessent, desiderari videbantur: & Græca, vnde hæc & antea expressa fuissent, & nunc restitui poterant, per commodum extarent. Dolebam præterea Arati ipsius, vel potius lingua Latina vicem: quod is genio tam infælici esset, vt in Latinum sermonem à duobus summis, atq; eloquentissimis viris cõuersus, ne ita quidem durare potuerit: sed fadè mutilatus, & quasi semiuivus ad nos peruenerit. Nam Auieni interpretatio eodem quoq; fato videtur edita: qua iam & ipsa atati quasi cedit: & alioqui ab illa diuina Arati breuitate, que quidem docenti est pernecessaria, ita plerunq; discedit, vt lectorem magis obruere, quam docere videatur. Quo in genere noster Cicero, & si is quoq; mea quidem sententia, Aratum non adequat: Auieno tamen videtur non paullò adstrictior: eoq; nomine discipulis etiam commodior. His rationibus ego adductus, eam operam huic opusculo impendi: simul existimans, non ingratum studiosæ iuuentuti futurum, si, qua cum integris in hoc genere Græcis conferri possent, integra quoque Latina, nomen præsertim Ciceronis utcumq; retinentia, extarent. Et quod quidem nostri propositi fuit, ea, qua in Latino desiderabantur, dedimus operam, vt ex Græco textu quam commodissimè fieri potuit conuersa, suo quasi Lari restituerentur. Quod corpus ipsum, & illud quasi gnesion Ciceronis attinet, præter spem nostram, non vsquequaq; repurgatam, aut cum Græco Arato consentientem partem illam reperimus. Neq; sanè eiusdem inuidia, & amissa restituere,

AD LECTOREM

sstiuere, & errata corrigere videbatur. Ego verò, qui in commu-
 nem literarum usum, Latinum Aratum, non vt antea lacerum,
 & scabrum, sed quantum in me esset, nitidum, ac tersum exhibe-
 re concupiueram: paruum operapretium fecisse me arbitrabar, si,
 cum lacunas omnes, hiatusq; expleuissem, nihilominus nauos
 quosdam, qui operis venustati non parum detraberent, quasi per
 negligentiam relinquerem. Ne autem eo nomine quoq; inuidi-
 am magnopere perhorrescerem, si menda illa tollere in animum in-
 duxissem, præter iuuandæ rei literariæ studium, ipsius Ciceronis
 exemplum me animauit: qui ipsemet, vt Eusebius testatur, scri-
 pta Lucretij castigauit: vt ipse sibi eam legẽ dixisse videatur, idem
 aliis in sua scripta vt liceret, quod sibi in aliena licuit. Nec verò
 sum ita amens, vt, quid inter me, & Ciceronem intersit, non vi-
 deam: sed idem de Cicerone, quod de sapientissimo quoq; iudico:
 neminem videlicet nasci sapientem, sed fieri: & Ciceronem, sicut
 alios, spacio habuisse opus, dum in Ciceronem euaderet. Neq; au-
 tem hoc ita dico, vt, quicquid errorum in hoc opusculo reperitur,
 id omne Ciceroni imputandum esse existimem: sed quemadmo-
 dum aliqua sint fortasse, quæ Ciceronem prima illa ætate sefellerint:
 ita maximam partem mendarum vel librariis, vel vetustis illis ca-
 stigatoribus deberi prorsus mihi persuadeo. Sunt enim quadam e-
 iusmodi, quæ ne in puerum quidem Ciceronem caderent. Latue-
 runt autem hucusq; siue reuerentia Ciceronis: siue, quod verius
 etiam puto, versuum ipsorum non absurda, vti prima facie viden-
 tur, concinnatione: vt, cum in canones prosodicos nihil peccare
 viderentur, à veritate quoq; aberrare, Græca præsertim inspicere
 dedignantibus, non sint crediti. Quàm autem tutum sit in eiusmodi
 libris mutilis, & truncatis, etiam hæc, quæ extant, authoris ge-
 nuina existimare, vel vnus Germanici, eundem authorem verten-
 tis, fragmenta documento esse possunt: quorum pleraq; si rationem
 versuum spectes, videntur non pessimè habere: si rem ipsam, &
 veritatem consideres, nihil ineptius, neque discrepantius videas:
 ita, vt mihi quidem dubium non sit, extitisse quosdam, qui libel-
 lum illum magna ex parte viciatum, & mutilum, castigare, ac
 reficere sint conati: sed qui satis haberent, vt versus tantum suis
 pedibus

BENEVOLVM.

pedibus incederent : caterùm , quomodo Arati sententiam exprimerent , parùm omnino laborarent . Hoc idem in tanto annorum numero huic Ciceronis libello vsu venire potuit : vt , cùm per vetustatem aliquid fortè detritum esset , non defuerint quidam Germanici item castigatum similes , qui damnum illud sarcire utcun- que studuerint , atq; ita pro genuinis nothos versus nobis supposuerint . Vt vt est , ego literarum amantibus , quantum in me fuit , palpum in hac parte diutius obtrudi non sum passus : insignioresq; aliquot errores sustuli : ita tamen , vt , quoad liceret , quàm minimè à veterè scriptura discederem : vt peccata illa , vitia potiùs librarij , quàm authoris errores fuisse existimari possint . Atq; id quidem inter legendum quiuis obseruare poterit . Vt autem meus hic labor eo placatiore inuidia vteretur , non Phanomena tantum sicut à principio statueram , sed Prognostica quoq; , non tam perpurgauì (pauci enim ex hac parte Ciceronis versus sunt reliqui) quàm ipsemet ex Graco transtuli : vt , cùm in reficiendo hoc libello tantum opere posuerim , meo quodam iure ex iis Ciceronis ruderibus nonnulla , quæ operi suscepto non satis quadrarent , reicere potuerim .

Habes , amice Lector , consiliij , factiq; nostri rationem : quam vt spero , nemo ita est improbaturus , vt hanc meam qualemcunq; operam , nullo studiosorum emolumento susceptam fuisse iudicet . Vale , atq; audacia nostra , tui sine parte periculi , fruere .

VIT A
JOAN: COCHANOVII.

JOANNES COCHANOVIVS, gente Coruinus, patre Petro, qui Terrestris, (vt vocant) Iudicis officio in Palatinatu Sandomiriensi fungebatur, matre, Anna de Biálaczovv Odrovvázovvná, spectatæ pudicitæ, prisçiq; moris fœmina, Siczynæ, in villa paterna natus est, anno reparatæ salutis, 1532. Post patris obitum, quem puer amisit, in seuerissima matris disciplina, vnâ cum quinque fratribus educatus, cùm prima litterarum rudimenta, insigni cum profectu in patria deposuisset, miro comparandæ eruditionis flagrans desiderio, in Germaniam primò, deinde Lutetiam Parisiorum se contulit. Vbi cùm Philosophiæ, Historiæ, linguarum cognitioni, studioq; Pœtico, ad quod à natura totus ferebatur, & id genus elegantioribus litteris, septennium ferè impendisset, in Italiam transit. Quam cùm totam iustrasset, Romæ, atque Parauii, aliquot annis substitit, virorum doctorum, quorum illic magna tunc erat copia, præsertim verò Robertelli atq; Manurii conuersatione illectus. Atq; ibi prima illi cum Ioanne Samoscio, Andrea Patricio, Stanislao Fogeluedrio, Luca Gornicio, viris eruditis contracta amicitia. Reuersum in patriam Philippus Padneuius, qui Episcopus Cracouien, Cancellarii quoq; munus obibat, sola fama notum, ad aulam Regiam accersiuit: Et delectatus amœno, atq; elegâti hominis ingenio, cùm genus etiam Latinæ scriptionis, quo non publica modò, sed priuata etiam tunc tractabantur negotia, probauisset, Regi Augusto commendauit, & in album Secretariorum referri curauit. Quo in officio, cùm ad particulares Nobilitatis Conuentus, tum ad externos Principes sæpius legationes obiuit. Multa deinde Padneui

Vita Ioân: Cochanoij.

neuo cura, vt ad sacerdotalem vitam amplectendam eum pertraheret, sed frustra: Vireniam omnis prorsus ambitionis expertus, & liberiori ingenio præditus, quod seueritati sacerdotali, cui fortè impar erat, simulare verò eam nefas ducebat, cùm moribus aulicis parum bellè conuenire animaduerreret, ideòq; potiorem sibi conscientia, quàm rei familiaris augendæ, parandæq; dignitatis rationem habendam existimaret, quietam vitam, litteratumq; otium facillè purpuris atq; infulis anteponebat. Non destitit tamen Petrus Miscouius, qui Padneuo successerat, sed validioribus iam machinis, idem vrgere propositum. Præpositurâ enim Posnaniensî satis lauti reditus, quam ipsemet obtinebat, illi cessit, & alia quædam beneficia, à liberalitate Regia impetrauit. Quæ, vt patrono de se optimè merito morem gereret, acceptauit ille quidem, vt tamè sacris initiaretur, adduci nunquam potuit. Cæterùm posteaquàm Miscouius ad tranquillioram vitam in Episcopatu agendam, ab aula se subduxit: licet Rex Stephanus, stipendio mille ducentorum florenorum in Regia retinere eum percuperet, tempus venissè ratus, quo non alieno arbitrio, sed suo iam genio obsecundaret, & sacerdotiorum molestiis, quæ inuito obtrudebantur, (iam enim Siciechouiensis quoque, curante Ioanne Samoscio, ad nominationem Regiam in Abbatem eum postulauerant) animum exolueret, Czárnolastus paternum rediit: nihilq; cunctatus, dimissis beneficiis Ecclesiasticis, vxorem ex Nobili Podlodouiorum familia duxit. Quod vbi Samoscio compertum, nolens hominem, quem summa complectebatur beneuolentia, in tenebris vitæ priuatæ delitescere, Castellani (vt vocant) Polanecensî dignitatem, à Rege Stephano impetratam, diplomate Regio transmissa, illi obtulit. Quam tamen ille, vtriq; pro egregia in se voluntate actis gratiis, acceptare recusauit: præfatus, sua se mediocritate



Vita Ioan. Cochanouij.

ocritate contentum, sumptuosum illum, & decocto-
rem Castellanum, in villam ad eſque paternas non ad-
miſſurum; qui omnia quæcumq; Cochanouius ſibi
paſſet, abſq; vlllo reſpectu, per factum atque ambi-
onem eſſet abſumpturus. Et hæc quidem ille præ ſe
ferebat: vera tamen obfirmati animi cauſa fuit, per-
petuum vitæ tranquillæ, priuatiq; otii deſiderium.
Quod vel hinc liquet, quod repudiata dignitate Sena-
toria, Equeſtrem tamen, Sendomiricẽ nimirum Tri-
bunatum, non aſpernatus eſt: Nullam aliam ob ratio-
nem, niſi quod Tribuni, ſub tempus expeditionis bel-
licæ, à cæteris militiae oneribus immunes, arcium tan-
tùm aſſeruandarum domi curam gerunt. Hoc igitur
paſto priuata vitæ, quam ardentiffimè ſemper concu-
piuerat, redditus, ad ſtudium Pœtices, quo naturalis
impetus eum inuitabat, animum appulit. Et in patrio
quidem ſermone ita excelluit, vt hætenus neque pa-
rem neq; ſecundum habuerit; primuſq; rem nullis an-
te calcatam veſtigiiſ aſſeſſus oſtenderit, venuſtatem
atq; leporem quo cæteræ cultiores ſe iactant, noſtræ
quoq; linguæ minimè deeſſe. In Latinis verò Pœma-
tibus pangendis, ad veteres illos, qui terſioris notæ glo-
riam conſequuti ſunt, quàm proximè acceſſerit. Hoc
in genere vitæ, ſex filiabus, filioq; poſthumo, ex vxore
ſuſceptis, cùm omnibus tam publicis, quàm rei famili-
aris moleſtiis ablegatis ſuauiſſimè vixiſſet, ſummo-
rumq; in Repub: virorum amiciciã floruiſſet: Lubli-
ni, Iacobi Podlodouii, contra ius gentium à Turcis in-
terfecti, cauſam apud Regem Stephanum amicorum
nomine acturus, non ſine magno omnium dolore, apo-
plexiã extinctus eſt, Anno ætatis ſuæ 52. Tumula-
tus in municipio Zvvoleneniſi, in paterno
gentiliuſq; ſuorum ſe-
pulchro.

AD AMPLISSIMUM
VIRVM, IOANNEM
SAMOSCIVM,
REGNI POLONIÆ
Cancellarium.



*Stras, quibus latè cœli ardua templa coruscant,
Quorumq; intuitu docilis partitur arator
Officia, & duri sua norunt tempora nauta:
Tullius Ausonio descripserat omnia versu.
Hoc sed opus, ceu multa alia, & præclara beati
Ingenij illius, sic longa attriuerat etas,
Ut plus dimidia truncatum parte, neq; ipsi
Patri agnoscendum, vile, ac deforme iaceret.
Iamq; neq; agricolis, quando aut proscindere terram,
Aut noua oporteret cultis dare semina sulcis,
Constabat satis: incerti temerè arua colebant
In cassum: ratio quòd inobseruata lateret
Annorum, fugeretq; vago sol nescius axe.
Nec minùs ancipites altum per Nerea nauta
Errabant: ut qui neq; clarum Orionis ensem,
Nec duplices hædos, nec Pleiadas, aut Cynosuram,*

))((

Quais

Praefatio.

Quaeis ducibus late peragrantur carula, noissent.

Horum ego praecipue damnis, simul & vice Tullii.

Permotus: cuius fæde mutilata Camæna

Nullò in vulgum vsu frustra adseruat a latebat:

Conatus sum illud lacerum sarcire pœma,

Et, quantum possem, ad veterem reuocare nitorem:

In priscos si forte resectum verteret vsus

Denuò, honosq; suus Ciceroni, & gloria constet.

Nec verò inficias ibo, me non modò apertas

Huius trunci operis voluisse explere lacunas:

Intactas etiam leuiter distingere partes

Ausus sum interdum, & manifestos tollere nauos:

Haud temerè, auxilio docti sed fretus Arati.

Quem quidè & ipse operis pater huius, magnus utroq;

Tullius eloquio, est imitatus, & aurea Graci

Authoris Latio conuertit carmina versu:

Praclaro versu, si non damnosa vetustas

Prestantem fædo violasset dente Camænam.

Huius ego antiquas studij instaurare ruinas,

Inuidiam paruipendens: si quid modò possem

Communem ipse etiam vitæ mortalis ad vsum

Adferre, & studiis non aspernabile honestis.

Hunc autem nostrum tibi consecrare laborem

Visum

Præfatio.


*Visum est, Aonidum decus, Et tutela, Samosci:
Munus non genere ex illo, Pan qualia regi
Sarmatiæ tuus ille dabat circumfluus auro:
Sed quæ Permessi dicunt ad flumina Musæ,
Tenuibus adsuetæ lymphis, ruriq; canoro.
Non omnes nimirum à diis ferre omnia possunt:
Namq; aliis alia indulget dator ille bonorum
Iuppiter altitonans: sua verò cuiq; placere
Sors debet: nihil inuitis sperabile diuis.*



JOHN

1

M. T. C I C E -
R O N I S
A R A T V S.

 *B Ioue Musarum primordia surgere par est,
Quem nos mortali prognati semine nunquam
Linquimus indictum: Iouis omnia compita plena,
Atque omnes hominum cœtus, maris æquora plena,
Et portus: Ioue enim, quocunq; feramur, egemus
Omnes: quin etiam patre illo dicimur orti.
Hic verò indulgens mortalibus omina fausta
Portendit, operiq; manus adhibere suadet,
Victum animo inculcans: hic cùm proscindere terram,
Cum uè nouas deceat scrobibus desigere plantas,
Hic tempestiuas sementis nundtiat horas:
Sideribus cælo infixis, quæ tempora certa
Signarent cursu, atq; anni momenta notarent:
Agricola unde catus sciret, quid quæq; moneret
Tempestas: sua gignendis ut tempora rebus
Constarent, ferretq; stata omnia frugifer annus.
Ergo illum primoq; loco, extremoq; vocamus.
Salve opifex rerum, atq; hominum spes unica salue,
Tuq; priorq; ætas: dulces saluete Camæna,
Et mihi, si fas est, describere sidera auenti,
Adsitis faciles, atq; omnem promite cantum.*

A

Cætera

Cetera labuntur celeri cœlestia motu,
 Cum cœloq̄ simul noctesq̄ diesq̄ feruntur.
 Axis stat semper, neq̄ partem inclinat in Vllam:
 Sed medius magna peruadens viscera terra,
 Præcipitem cœli radiantis sustinet orbem.
 Extremusq̄ adeo duplici de cardine Vertex,
 Dicitur esse polus: latet altermersus in Vndis:
 E regione alter Boream super arduus extat.

Hunc arcti circum gemine voluuntur: easdem
 Plaustra etiam dicunt, & imago est proxima plaustris,
 Lumina si obtineant sua temonesq̄, rotæq̄.
 Quodsi forte Vrsas magis appellare libebit:
 Ora micant obuersa feris: capite altera tergo
 Imminet alcerius: cursus resupinus utriq̄.
 Si qua fides famæ, Cressa tellure profectas
 Iuppiter in cœlo, victus pietate, locauit:
 Dicitæo quod ab ijs foret enutritus in antro,
 Sæuum Curetes cum delusere parentem.
 Ex iis altera apud Graios Cynosura vocatur,
 Altera dicitur esse Helice: latera huius, & ardens
 Cauda illustratur stellarum lumine claro,
 Quas nostri septem soliti vocitare Triones.
 Hanc Graij observant, pelagi per carula nautes,
 Germanæ numero stellarum, disposituq̄,
 Par Cynosura, polum sublimis lustrat eundem.
 Hac fidunt duce nocturna Phœnices in alto.
 Sed prior illa magis stellis distincta refulget,
 Et late prima confestim à nocte videtur:

Hæc verò

Hac verò parua est, sed nautis usus in hac est.
 Nam cursu interiore breui conuertitur orbe :
 Atq; hæc Sidonias nunquam est frustrata carinas.
 Has inter, veluti rapido cum gurgite flumen,
 Toruus draco serpit subter, supera q; reuoluens
 Sese : conficiensq; sinus è corpore flexos,
 Oceano tingi metuentes implicat Arctos.
 Hanc longa effusus cauda metitur, at illam
 Spira comprehendit : protenditur vltima cauda
 Ad caput vsq; Helices : Cynosura lubrica summum
 Claudit spira caput, pedibusq; aduoluitur imis :
 Unde retrocedens vasti vis illa draconis
 Porrigitur longè, & spacium cæli occupat ingens.
 Huic non vna modò caput ornans stella relucet,
 Verùm tempora sunt duplici fulgore notata,
 E trucidibusq; oculis duo feruida lumina flagent,
 Atq; vno mentum radianti sidere lucet.
 Obstipum caput, & tereti ceruice reflexum
 Obtutum in cauda maioris figere dicas
 Arcti : sanè equidem, quod dextro tempore, quodq;
 Sidus inest mento, in caudam directa minantur.
 Hoc caput hinc paulum sese subitoq; recondit,
 Ortus vbi, atq; obitus parti miscentur in vna.
 Hoc ipsum caput ignitis spectabile stellis
 Attingens desessa velut mærentis imago
 Vertitur: illa quidem quo nomine sit vocitanda,
 Cuius labori instet, nullus dum prodidit autor.
 Scriptores Graij desecti nomine vero

Engonasin dicunt, genibus quod nixa feratur.
 Hæc manibus liquido spectatur in æthere passis,
 Insistensq; caput pede dexteriore Draconis.

Hic illa eximio posita est fulgore Corona
 Quam veteres Bacchus non insiciatus amores,
 Gnosside defuncta, cælestibus intulit astris,
 Tergo fixa genu prolapsi lucida fulget.

Eiusdem tristis simulachri, & nomine casti,
 Quere caput, propter vasti caput Anguinenentis,
 Quem claro perhibent Ophiuchum nomine Graij.
 Ex hoc namq; tibi totum illum nosse licebit.

Huic humeri sanè tantò splendore corruscant,
 Ut plene possint etiam contendere luna.

Lux impar manibus : tenui nam lumine fulgent :
 Sic tamen, ut discerni oculis, possintq; notari.

Hic depressu duplici palmarum continet anguem,
 Eius & ipse manet religatus corpore toto.

Namq; virum medium Serpens sub pectora cingit:
 Ille tamen nitens grauius vestigia ponit,

Atq; oculos urget pedibus, pectusq; Nepai,
 Comprensus pugnat nodis se exoluere serpens,

Palmarumq; impar nexus elabitur arctos :

Dextram parcus, ubi fundit sese ultima cauda,
 Leuam prolixus, quæ vertex tenditur, exit,

Sublimemq; afflat summo arduus ore Coronam.
 Paulo infra spiram Chelas inquire iacentes.

His sanè exiguus manat de corpore splendor.

Post Helices tergum clinato corpore fertur,

Arctophylax, vulgò qui dicitur esse Bootes :
 Quòd quasi temone adiunctam præ se quatit Arcton.
 Illustris totus : reliquis sed clarior una
 Sideribus subter præcordia fixa tenetur
 Stella, micans radiis : Arcturus nomine claro.

Sub pedibus porrò fertur finita Booti,
 Spicum illustre tenens splendenti corpore Virgo.
 Sive itaq; Astrei vocitanda est illa propago,
 Quem prisca astrorum dixerunt secla parentem :
 Seu cuiuscunq; alterius, pacata patenti
 Versetur cælo, nostroq; haud aspera cantu.
 Caterùm & hæc magnum celebratur fama per orbem :
 Nempe, quòd in terris fuerit versata, palamq;
 Præbuerit sese mortalibus ante videndam.
 Nec matronarum cætus veterumq; virorum
 Respuerit : Verùm, dea quamuis, sederit unà,
 Iustitiam dixere : senum cætu illa vocato,
 Siue forum in medium, seu quà dimensa patefcunt
 Compita, ciuiles tradebat sedula leges.
 Nondum mortales inter contentio, nondum
 Iurgiaue, aut lites, notiue fuere tumultus.
 Vita fuit simplex, mordacisue inscia cure :
 Et mare inexpertum procul, ignotumq; iacebat.
 Nulla petebantur fragili compendia puppi :
 Malebant tenui contenti viuere cultu,
 Terram exercentes tauris, & vomere duro.
 Virgo autem populi moderatrix, larga bonorum,

Cepta secundabat, præbebatq̄ omnia abundè.
 Hæc ita perstabat, dum perstitit & genus aureum.
 Ut verò argenti succreuit vilior etas,
 Rara, parumq̄ alacris populi se ante ora ferebat,
 Ob iacturam hominum mærens, morumq̄ priorum.
 Aspernata tamen genus omnino hoc quoq̄ non est.
 Prima nocte, ubi Sol caput equore merjerat alto,
 Montibus è summis sese incomitata ferebat:
 Nec quenquam illa tamen blanda dignata loquela est:
 Sed populi cætu in medio, turbaq̄ coacta
 Multa querebatur, vicis insensa, semelq̄
 Pulsâ in perpetuum reuocari posse negabat.
 Heu, quàm prauam, inquit, tulit etas aurea patrum
 Progeniem: sed vestro etiam qui semine surgent,
 Præcurrent vicis nati, vincentq̄ parentes.
 Tum bella emergent funesta, cruorq̄ per omnem
 Fundetur terram, neq̄ erit pausa ulla malorum.
 Hæc effata, gradum montes referebat in altos,
 Ora virum in se conuertens, oculosq̄ sequaces.
 Postquam autem in terris euauit hoc quoq̄ seclum,
 Ferrea tum verò proles exorta repente est,
 Ausaq̄ funestum prima est fabricarier enses,
 Et gustare manu victum, domitumq̄ iuuenicum,
 Quod dea casta tuens, genus humanum omne perosa,
 Deseruit terras nitens perniciousis alis,
 Et louis in regno, cæliq̄ hac parte resedit,
 Nunc ubi spectari potis est quoq̄, noctis in umbra
 Virgo nitens stellis, clari vicina Bootæ,

Huic superà duplices humeros affixa videtur
 Stella, micans tali specie, taliq; nitore,
 Qualis lux magna à cauda diffunditur Vrsæ.
 Ardens quippe illa est: stellis quoq; flamma propinquis
 Par data, quas cælum intuitus facîle ipse notaris.
 Insignis, candensq; præt Vestigia stella,
 Vna quidem primi, pedis altera posterioris:
 Tertia sub caudam, ac genus ipsum lumina pandit:
 Sed dispersæ omnes censentur nomine nullo.

At natos geminos inuisos sub caput Arcti,
 Subiectus mediæ est Cancer, pedibusq; tenetur
 Magnus leo, tremulam iaciens è corpore flammam.
 Hic est æstiferi via flagrantissima Solis,
 Aruaq; desertis vacua aspiciuntur aristas.
 Sole Cleonæum primùm ingrediente Leonem.
 Hoc motu radiantis Etesie in vada ponti
 Profiliunt: neq; iam remorum est amplius usus.
 Tum mihi naue vchi magna, libeatq; secundo
 Aurarum impulsu positis mare findere tonsis.

Si verò aurigam libeat, stellasq; tueri
 Aurigæ ipsius: capræ quoq; fabula sese
 Hædorumq; tibi obuciet, qui sæpe procellis
 Iactari toto viderunt æquore nautas.
 Ipse igitur, quantus membrorum attollitur auctu,
 Sub læua geminorum obductus parte feretur.
 Aduersum caput huic Helice truculenta tuetur.
 At capra leuum humerum clara obtinet: Ubra cuius
 Infantem suxisse Iouem prior asserit etas.

Oleniam hanc dicunt capram Iouis adituentes.
 Ve. um hæc est magno, atq; illustri prædita signo :
 Contra hædi exiguum iaciunt mortalibus ignem,
 Extremo in cubito duplici fulgore micantes.

Aurigæ spaciosa pedum Vestigia subter
 Corniger est Valido connixus corpore taurus,
 Ipsius ex ipsis fas hunc tibi noscere signis.
 Hæc capiti forma est, species hæc cornibus aureis,
 Ut bouis hanc esse effigiem nullo indice dicas.
 Quæ fronte in media coniuncto ardore coruscant,
 Has Græci stellas hyadas Vocitare suerunt :
 Leuum eius cornu, & Vestigia dextera proni
 Aurigæ stella una ligat : iunctim ambo feruntur :
 Taurus in occasum semper prauertere certat
 Aurigam, Eo quamuis simul aequore surgant.

Nec verò genus infelix sine honore iacebit
 Iasida Cephei: sed eos quoq; Iuppiter astris
 Inseruit, memor autorem se sanguinis esse.
 Namq; ipsum ad tergum Cynosura Vertitur Arcti:
 Dispanfis manibus Cepheus: huic linea duplex
 Extrema à cauda plantas procurrit in ambas,
 Longa, pedum inter se quantum Vestigia distant.

Paulo infra zonam sinuosi prima draconis
 Spira tibi occurret: sed Cephea Vertitur ante
 Obscura specie stellarum Cassiopeia.
 Quæ nec ita e multis, neq; constat parua ita crebris.
 Qualis, clauis intus defixo, ianua duplex
 Obliqui quondam fulcitur robore Vectis,

Talis

Talis stellarum positura est Cassiopeiæ,
Gnatæ flere vicem dicas, ita brachia tendit.

Hanc autem illustri versatur corpore propter
Andromede, fugiens aspectum mæsta parentis.
Illa quidem haud potis est noctu quesita latere,
Tam claro capite est: humeri tam iugiter ardent,
Extremiq; pedes, & cinctus corporis omnes.
Pæna antiqua, manus etiam nunc æthere in alto
Expansa visuntur, & ad saxa horrida fixa.

Huic equus ille, iubam quatiens fulgore micanti,
Summum contingit caput aluo: stellaq; iungens
Vna tenet duplices communi lumine formas,
Æternum ex astris cupiens connectere nodum.
Tris aliæ, inter sese equalibus interuallis
Disita, equi signant latera alitis, & simul armos,
Eximio splendore: caput longè impare flamma
Visitur, & ceruix ingens licet: Ultima summo
Stella nitens mento contendere quatuor illis
Possit, equi latera, & magnos lustrantibus armos.
Nec ferus ille tamen totos nitet integer artus:
Pars aluo tenus anterior sola æthere fulget.
Hunc olim perhibent Heliconis vertice summo
Produxisse nouum fontem, cum mons prius ille
Nullo manaret riuo, nulla aridus vnda.
Percussit sonipes terram: pedis illicet ictum
Fons salientis aquæ, iugisq; scatebra sequuta est.
Pastores Hippocrenen cæpere vocare
Hunc laticem: rupe ille caua per saxa volutus

*Theſſia rura rigat: ſonipes fulgentibus ardet
Inſertus ſtellis ſublūſtri nocte videndus.*

*Exin contortis aries cum cornibus heret,
Qui ſpacia ingreſſus longiſſima, præpete curſu
Interiora breuis Cynoſuræ curricula æquat.
Ille quidem, plena quaſi ſemper ſidere luna
Obscuretur, hebes oculorum lumina fallit:
Tu verò Andromeda obſeruabis cingula clara,
E quibus hunc ſubter poſſis cognoſcere fultum.
Hic cæli mediam partem terit, hic ubi Chelæ
Extrema, & balteus conuertitur Orionis.*

*Et propè conſpicias paruum ſub corpore claro
Andromeda ſignum Deltoton dicere Graui
Quod ſoliti: ſimili quia forma littera claret.
Huic ſpacio ductum ſimili latus extat utrumq;
At non tertia pars lateris: namq; eſt minor illis,
Sed ſtellis longè denſis præclara relucet.
Inferior paulo eſt Aries, & flamen ad Auſtri
Inclinatior: Atq; etiam vehementius illo
Pifces: quorum alter paulò prolabitur ante,
Et magis horriſonis Aquilonis tangitur alis.
Atq; horum caudis duplices quaſi in eſſe catena
Viſuntur, quæ diuerſæ per lumina ſerpunt,
Atq; una tandem in ſtella communiter herent:
Quem veteres ſoliti cæleſtem dicere nodum.
Andromeda læuo, ex humero, ſi quaſere perges,
Adpoſitum poteris ſuperà cognoſcere piſcem.
E pedibus natum ſummo Ioue Perſea viſes,*

Quos hu-

Quos humeris retinet defixo corpore Perseus,
 Quà summa ab regione Aquilonis flamina pulsant.
 Hic dextram ad sedes intendit Cassiopeiæ,
 Diuersosq; pedes vinculos talaribus aptis,
 Puluerulentus uti de terra lapsus repente,
 In cælum victor magnum sub culmina portat.

At propter læuum genus omni ex parte locatas
 Paruas Vergilias tenui cum luce videbis.

Hæ septem vulgò perhibentur more vetusto
 Stelle, cernuntur verò sex undiq; parue:

At non interiisse putari conuenit unam.

Sed frustra, & temere à vulgo ratione sine vlla
 Septem dicier: ut veteres statuere Poëtæ,

Æterno cunctas æuo qui nomine dignant.

Alcyone, Meropeq;, Celeno, Taygeteq;,
 Electra, Steropeq;, simul sanctissima Maia.

Hæ tenues paruo labentes lumine lucent.

At magnum nomen signi, clarumq; vocatur.

Propterea quòd & æstatis primordia clarat,

Et post, hyberni præpandens temporis ortus,

Admonet, ut mandent mortales semina terris.

Inde fides leuiter posita, & connexa videtur,

Mercurius paruis manibus quam dicitur olim
 In cunis fabricatus in alta sede locasse.

Hæc genus ad læuum Nixi delapsa resedit:

Atq; inter flexum genus, & caput alitis hesit.

Namq; est ales auis, lato sub tegmine cæli

Quæ volat, & serpens geminis secat. atra pennis.

Altera pars huic obscura est, & luminis expers.
 Altera nec paruis, nec claris lucibus ardet:
 Sed mediocre iacit quatiens e corpore lumen.
 Hæc dextram Cephei dextro pede pellerè palmam
 Gestit: nam leuam, clinata est Ungula Jemens
 Fortis equi, propter pennati corporis alam.

Ipse autem labens geminis Equus ille tenetur
 Piscibus: huic ceruix dextra mulcetur Aquarij.
 Serius hæc obitus terrai visit equi vis,
 Quàm gelidum valido de corpore frigus anhelans,
 Corpore semifero, Notio Capricornus in orbe.
 Quem cum perpetuo vestiuit lumine Titan,
 Brumali flectens contorquet tempore cursum.
 Hoc caue te ponto studeas committere mense.
 Nam non longinquum spacium labere diurnum,
 Non hyberna cito voluetur curriculo nox,
 Humida non sese vestris Aurora querellis
 Ocyus ostendet, clari prænuntia Solis.
 At validis æquor pulsabit viribus Auster:
 Tum fixum tremulo quatietur frigore corpus.
 Hi tamen anni iam labuntur tempore toro,
 Nec cui signorum cedunt, nec flamina vitant.
 Nec metuunt canos minitanti murmure fluctus.
 Sed similes mergis agitantur gurgite vasto,
 Et si quando mari incubuit vis horrida venti,
 Decurrunt ad vota: oculisq; ad littora versis
 Terram agitant animo: fluctu procul illa marino
 Pulsa gemit, mortemq; exilis distinet asser.

Atq; etiam supero, naui pelago vsq; vagatus,
 Mense, sagittipotens solus cum sustinet orbem:
 Iam tum, cum nimis exiguo lux tempore præsto est,
 Terræ aduerte ratem, dubia nec fido nocti.

Hoc signum Veniens poterunt prænoscere nautæ,
 Nam propè præcipitante licebit visere nocte,
 Vt sese emergens ostendat Scorpius altè,
 Posteriore trahens flexum vi corporis arcum.
 Iam super à cernes Arcti caput esse minoris,
 Et magis erectum ad summum versarier orbem,
 Tum sese Orion toto iam corpore condit,
 Extrema propè nocte, & Cepheus conditur unà,
 Lumborum tenus à palma depulsus ad undas.

Hic missore vacans fulgens iacet una sagitta,
 Quam propter nitens penna conuoluitur ales,
 Et clinata magis paulo est Aquilonis ad auras.

Ac propter se aquila ardenti cum corpore portat,
 Igniferum mulcens tremebundis æthera pennis:
 Non nimis ingenti cum corpore: sed graue mæstis
 Ostendit nautis perturbans æquora signum,
 Decedente ubi nocte mari se protulit alto.

Tum magni curuus Capricorni corpora propter
 Delphinus iacet, haud nimio lustratus nitore,
 Præter quadruplices stellas in fronte locatas,
 Quas interualium binas determinat unum.
 Cætera pars latè tenui cum lumine serpit.

Stelle igitur, quarum positus huc diximus vsq;
 Sunt inter partes gelidas Aquilone locatæ,



Atq; inter spacium, & leti Vestigia Solis.
 Quæ restant post delphinum claranda, feruntur
 Inter Solis iter, simul inter flamina venti,
 Viribus erumpit quæ summi spiritus Austri.

Ac primum Orion obliquo corpore nitens,
 Inferiora tenet truculenti corpora tauri.

Quem qui suspiciens in cælum nocte serena
 Latè dispersum non viderit, abdita frustra
 Cætera se speret cognoscere signa potesse.

Namq; pedes subter rutilo cum lumine clare
 Feruidus ille Canis, stellarum luce refulgens.

Huic latet obscurus subter præcordia venter,
 Nec toto spirans rabido de corpore flammam
 AEstiferos validis erumpit flatibus ignes:

Totus ab ore micans iacitur mortalibus ardor.

Hic ubi se pariter cum Sole in culmina cæli
 Extulit, haud patitur foliorum tegmine frustra

Suspensos animos arbusta ornata tenere:

Nam, quorum stirpes tellus amplexaprehendit,
 Hæc, augens anima, vitali flamine mulcet.

At quorum nequeunt radices findere terram,
 Denudat solius ramos, & cortice truncos.

Hic subiens etiam piscosi carula ponti,

Sentitur nobis: reliquis innoxia flamma est,

Et tantum membris adhibetur caussa notandis.

Hunc propter, subterq; pedes, quos diximus ante,
 Orionis iacet leuipes lepus: hic fugit ictus
 Horrificos metuens rostri tremebundus acuti:

Nam

Nam canis infesto sequitur vestigia cursu,
 Pracipitantem agitans: oriens cum deniq; tollit
 Membra pusilla lepus, pronusue sub aquora fertur:
 Surgentem à tergo canis, insequiturq; cadentem,
 Curriculum nunquam defesso corpore sedans.
 At canis ad caudam serpens prolabitur Argo,
 Conuersam præ se portans cum lumine puppim.
 Non alienaues Ut in alto ponere proras
 Ante solent, rostro Neptunia prata secantes,
 Sed conuersa retrò cæli semper loca tranat.
 Sicut cum cæptant tutos contingere portus,
 Obuertunt nauem magno cum pondere nautæ,
 Aduersamq; trahunt optata ad littora puppim.
 Sic conuersa Vetus super æthera vertitur Argo,
 Atq; usq; à prora ad celsum sine lumine malum,
 A malo ad puppim cum lumine clara videtur.
 Inde gubernaculum, disperso lumine fulgens,
 Clari posteriora canis vestigia tangit.

Exin semotam procul, in tutoq; locatam
 Andromedam tamen explorans fera quæ serepistrix
 Pergit, (¶) usq; sitam gelidas Aquilonis ad auras,
 Cærulea vestigat, finita in partibus Austri.
 Hanc Aries tegit, (¶) squamoso corpore pisces,
 Fluminis illustris tangentem corpore ripas.

Namq; etiam Eridanum cernes in parte locatum
 Cæli, funestum magnis cum viribus amnem:
 Quem lachrymis mæstæ Phætonis sæpè sorores
 Sparserunt, letum mærenti voce canentes.

Hunc

Hunc Orionis sub leua cernere planta
 Serpentem poteris: proceraq; Vincla Videbis,
 Quæ retinent pisces, caudarum parte locata,
 Flumine mixta retro ad pistricis terga reuerti.
 Hic una stella nectuntur, quam iacit ex se
 Pistrix, e spina Valida cum luce resurgens.

Exinde exigua tenui cum lumine multa
 Inter pistricem fusæ, sparsæq; videntur,
 Atq; gubernaculum stellæ, quas contegit omnes
 Formidans acrem morsum lepus: his neq; nomen,
 Nec formam veteres certam statuisse videntur.
 Nam quæ sideribus claris natura poluit,
 Et vario pinxit distinguens lumine formas.
 Hæc ille aërorum custos ratione notauit,
 Signaq; signauit cælestia nomine vero.
 Has autem, quæ sunt paruo cum lumine fusæ,
 Consimili specie stellas, pariliq; nitore,
 Non potuit nobis nota clarare figura.

Exinde, australem soliti quem dicere piscem,
 Voluitur inferior Capricorno, versus ad Austrum,
 Pistricem obseruans, procul illis piscibus hærens.
 At propè conspicias, experteis nominis omnes,
 Inter pistricem, & piscem, quem diximus Austri,
 Stellæ sub pedibus stratæ radiantis Aquarii.
 Propter Aquarius obscurum dextra rigat amnem,
 Exiguo qui stellarum candore nitescit.
 E multis tamen iis duo latè lumina fulgent:
 Vnum sub magni pedibus cernetur Aquarij:

Quod

Quod superest, gelidi delapsum flumine fontis,
Spiniferam subter caudam pistricis adhesit.
Omnes hæc stellæ perhibentur nomine Aquai.

Hic aliæ volant paruo cum lumine sparse,
Atq; priora pedum subeunt vestigia magni
Arcitenentis, & obscuræ sine nomine cedunt.
Inde Nepæ cernes propter fulgentis acumen
Aram, quam flatu permulcet spiritus Austri:
Exiguo superum quæ lumina tempore tranat.
Nam procul Arcturo est aduersa parte locata.
Aucturo magnum spacium superâ dedit: orbem
Iuppiter huic paruum inferiore in parte dicit.
Hæc tamen æterno inuisens loca curriculo nox,
Signa dedit ~~navis~~, cuncti quæ noscere possent:
Commiserans hominum metuendos undiq; casus.
Nam cum fulgentem cernes sine nubibus atris
Aram sub media cœli regione locatam,
A summa parte obscura caligine tectam:
Tum validis fugito deuitans viribus Austrum.
Quem si prospiciens vitaueris, omnia cautè
Armamenta locans, tutò labere per undas:
Sin grauis inciderit nec opino flamine ventus,
Perfringet celsos defixo robore malos:
Vt res nulla feras possit mulcere procellas,
Ni parte ex Aquilonis opacam pellere nubem
Ceperit, & subitis auris diduxerit Ara.
Sin humeros medio in cœlo Centaurus habebit,
Ipseq; cærulea contactus nube feretur,

nautis

C

Atq; ar-

Atq; aram tenui caligans Vestiet Umbra,
Ad signorum obitum vis est metuenda Fauonii.

Ille autem Centaurus in alta sede locatus,
Qua sese clarum collucens Scorpius infert :
Hac subter, partem præportans ipse virilem
Cedit, equi partes properans subiungere Chelis.
Hic dextram porgens, quadrupes qua vasta tenetur,
Quam nemo certo donauit nomine Graium.
Tendit, & illustrem truculentus cedit ad Aram.

Hic sese infernis de partibus erigit Hydra,
Præcipiti lapsu flexo cum corpore serpens.
Hæc caput, atq; oculos torquens ad terga Nepai,
Conuexoq; sinu subiens inferna Leonis,
Centaurum leni contingit lubrica cauda.

In medioq; sinu fulgens cratera relucet.
Extremam nitens plumato corpore Coruus
Rostro tundit. Et geminis est ille sub ipsis
Ante canis, Graio Procyon qui nomine fertur.
Hæc sunt, quæ visens nocturno tempore signa,
Æternumq; volens mundi cognoscere motum,
Legitimo cernes cælum lustrantia cursu.

Nam, quæ per bis sex signorum labier orbem
Quinq; solent stellæ, simili ratione notari
Non possunt : quia quæ faciunt vestigia cursu,
Non eodem semper spacio portata teruntur :
Sic malunt errare vaga per nubila cæli,
Atq; suos vario motu metirier orbis.
Hæc faciunt magnos longinqui temporis annos,
Cum redeunt ad idem cæli sub tegmine signum.

Quarum

Quarum ego nunc nequeo tortos euoluere cursus.
 Verum hæc, quæ semper certo voluuntur in orbe,
 Fixa, simul magnos exponam versibus orbes.

Quattuor eterno lustrantes lumine mundum,
 Orbes stelligeri, portantes signa feruntur,
 Amplexi terram, cæli sub tegmine fulti.
 Equibus annorum rationem, & fœdera nosces.
 Hos tute ex propriis poteris deprendere signis:
 Plurima enim circum, supera q̄, infra q̄, feruntur.
 Ipsos porro orbes magno cum lumine latos,
 Vinc̄tos inter se, & nodis cælestibus aptos,
 Atq̄, paris spacio duo cernes esse duobus.

Nam si nocturno cognoscens tempore cælum,
 Cum neq̄, caligans deterisit sidera nubes,
 Nec pleno stellas superauit lumine luna,
 Vidisti magnum candentem serpere circum:
 Lacteus hic nimio fulgens candore notatur.
 Huic nullus cælo defertur concolor orbis.
 Verum æquè magnis, ex quattuor, esse duobus
 Contigit: at reliqui giro breuiore feruntur.

Quorum alter tangens Aquilonis vertitur auras,
 Ora petens Geminorum illustria: tum genus ardens.
 In sese retinens Aurigæ portat utrunq̄.
 Hunc sura laua Perseus, humero q̄, sinistro
 Tangit: & Andromedæ hîc fulgens quoq̄, dextra tenetur,
 Secta volam, cubitumq̄, inter: Boream vola contra
 Tendit: sed cubitum pluuius sibi vendicat Auster.
 Hoc ipso orbe pedes duplices Equus, & simul ales

Ponit auis caput, & clinato corpore collum.
 Angui tenens humeris connititur: illa recedens
 Austrum consequitur deuigans corpore Virgo.
 At Verò totum spacium conuestiet orbis
 Magnus Leo, & claro collucens lumine Cancer.
 Hic totus medius circo, disungitur: ille
 Pectoribus validis, atq; aluo possidet orbem.
 In quo consistens conuertit curriculum Sol
 AEstiuus, medio distinguens corpore cursus.
 Hunc octo in partes diuisum noscere circum
 Si potes, inuenies supero conuertier orbe
 Quinq; pari spacio partes, tris esse relictas,
 Tempore nocturno quas Vis inferna frequentet.
 Alter ab infernis Austri conuertitur auris,
 Distribuens medium subtersecat hic Capricornum,
 Atq; pedes gelidum riuum fundentis Aquarij,
 Cerulea q; seram caudam pistricis, & illum
 Fulgentem leporem: inde pedes Canis, & simul amplam
 Argolicam retinet crebro cum lumine nauem.
 Terraq; Centauri, atq; Nepai portat acumen,
 Inde Sagittarii desixum possidet arcum.
 Hunc, a clarifonis auris Aquilonis ad Austrum
 Tendens, postremum tangit rota feruida Solis.
 Exinde in superas, brumali tempore flexu
 Se recipit sedes: huic orbi quinq; tributæ.
 Nocturnæ partes, superà tres luce dicantur.
 Hosce inter mediam partem retinere videtur
 Tantus, quantus erit collucens lacteus orbis.

In quo autumnali, atq; iterum Sol lumine *verno*
 Exæquat spaciū lucis, cum tempore noctis.
 Hunc retinens Aries subluce corpore totus,
 Atq; genu flexo Taurus conmittitur ingens.
 Orion claro contingens pectore fertur.
 Hydra tenet flexu crateram, Coruus adheret,
 Et pauca Chelis stellæ, simul Anguitenentis
 Sunt genua, & summi Iouis ales nunctius instat.
 Propter Equus capite, & ceruicū lumine tangit.
 Hosce æquo spacio deiunctos sustinet axis,
 Per medios summo cæli de Vertice tranans.

Ille autem claro quartus cum lumine circū
 Partibus extremis extremos continet orbes,
 Et simul à medio media de parte secatur:
 Atq; obliquus in iis nitens cum lumine fertur.
 Ut nemo, cui cui tandem doctissima Pallas
 Solertem ipsa dedit fabricæ rationibus artem,
 Tam tornare cæte contortos possiet orbes:
 Quam sunt in cælo diuino nomine flexi:
 Terram cingentes, ornantes lumine mundum,
 Culmine transuerso retinentes sidera sulta.
 Quattuor hi motu cuncti voluuntur eodem,
 Auroræ à thalamo Zephyri intima regna petentes.
 Horum tres tamen emerguntq; caduntq; sub Umbras
 AEquis deiuncti spaciis: eademq; caducos,
 Surgentesq; loca aut condunt, aut æquore tollunt.
 Ast ille obliquè implexus tribus orbibus vnus,
 Tam late Oceani spaciosum permeat equor,

Quanto est diuisus Cancer spacio à Capricorno:
 Exoriens Cancer matutino à Capricorno.
 Vtrobique autem, ¶ quàm se pelago exerit, ¶ quàm
 It subter terras spaciū par esse necesse est.
 Et quantos radios iacimus de lumine nostro,
 Quis hunc conuexum cæli contingimus orbem:
 Sex tantæ poterunt sub eum succedere partes,
 Bina pari spacio cælestia signa tenentes.

Zodiacum hunc Græci vocitant, nostriq; Latini
 Orbem signiferum perhibebunt nomine vero.
 Nam gerit hic voluens bis sex ardentia signa.
 AEstifer est pandens feruentia sidera Cancer.
 Hunc subter fulgens cedit vis torua Leonis,
 Quem rutilo sequitur collucens corpore Virgo,
 Exin proiecta claro cum lumine Chelæ,
 Ipsaq; consequitur lucens vis magna Nepai.
 Inde Sagittipotens dextra flexum tenet arcum,
 Post hunc ore sero Capricornus vadere pergit.
 Humidus inde loci collucet Aquarius orbi,
 Exin squamiferi serpentes æthere pisces.
 Quis comes est Aries obscuro lumine labens,
 Inflexoq; genu proiecto corpore Taurus.
 Et gemini clarum iactantes lucibus ignem.
 Hæc Sol æterno conuestit lumine lustrans,
 Annua consciciens vertentia tempora cursu.
 Hic quantum terris conuexus pellitur orbis,
 Tantundem adparens super à mortalibus extat.
 Sex omni semper cedunt labentia nocte,

Tot cælum rursus surgentia signa reuisunt.
 Hoc spacium tranans cæcis nox conficit Umbris,
 Quod superà terras prima de nocte relictum est
 Signifero ex orbi, signorumq; ordine fulto.

Quodsi Solis aues certos cognoscere cursus,
 Ortus signorum nocturno tempore uises.
 Nam semper signum exoriens Titan trahit unum.
 Sin autem officiens signis mons obstruet altus,
 Aut adimet lucem cæca caligine nubes:
 Certas ipse notas cæli de tegmine sumes,
 Ortus, utq; obitus omnes cognoscere possis.
 Quæ simul existant cernes, quæ tempore eodem
 Præcipitent obitum, nocturno tempore nosces.

Nam simul, ut superà se toto lumine Cancer
 Extulit, extemplo cedit de lapsa Corona,
 Et loca conuisit cauda tenuis infera piscis.
 Dimidiam retinens, stellis distincta corona,
 Partem etiam superà, ast alia de parte repulsa est.
 Quam tamen insequitur piscis, nec totus ad Umbras
 Tractus, sed supero contactus corpore cedit.
 Adq; humeros usq; à genibus, Cancro ex oriente,
 Conditur Anguitenens, atq; à cervicibus anguis.
 Iam verò Arctophylax non æqua parte secatur.
 Nam breuior clara cæli de parte uidetur,
 Amplior infernas depulsus possidet Umbras.
 Quattuor hic obiens secum deducere signa
 Signifero solet ex orbi: tum serius ille,
 Cum supera sese satiauit luce, recedit,

Ad mediam labens claro cum corpore noctem.
 Hæc obscura tenens conuestit sidera tellus,
 At parte ex alia claris cum lucibus extat
 Orion, humeris, & lato pectore fulgens,
 Et dextra retinens non cassum luminis enssem :
 Eridani cum quo totus prouoluitur amnis.

Sed cum de terris vis est patefacta Leonis,
 Omnia, quæ Cancer præclaro detulit ortu,
 Cedunt obscurata : simul vis maior Aeti
 Pellitur, ac flexo considens corpore Nixus,
 Iam supero ferme depulsus lumine cedit.
 Sed lauum genus, atq; illustrem inquit in altum
 Plantam : tum contra exoritur clarum caput Hydra,
 Et lepus, & Procyon, qui sese feruidus infert
 Ante Canem : inde Canis vestigia prima videntur.

Non pauca è cælo depellens signa repente
 Exoritur candens illustri lumine Virgo.
 Cedit clara fides Cyllenia, mergitur unda
 Delphinus, simul obtegitur depulsa sagitta,
 Atq; Avis ad summam caudam, prima sçq; recedit
 Pinna, & magnus pariter delabitur Amnis.
 Hic equus à capite, & longa ceruice latefcit.
 Longius exoritur iam claro corpore serpens,
 Crateraq; tenuis lucet mortalibus Hydra,
 Inde pedes Canis ostendit iam posteriores,
 Et post ipse trahit claro cum lumine puppim.
 Insequitur labens per cæli lumina nauis.
 Hæc medium ostendit radiato stipite malum,

Cum iam iam toto processit corpore Virgo.

At cum procedunt obscuro lumine Chelæ,

Existit pariter larga cum luce Bootes.

Cuius in aduerso est Arcturus corpore fixus.

Totaq; iam superâ fulgens prolabitur Argo,

Hydraq;, quod latè cælo dispersa tenetur,

Nondum tota patet: nam caudam contegit Umbra.

Iam dextrum genus, & decoratam lumine suram

Erigit ille vagans, vulgato nomine, Nixus:

Quem nocte extinctum, atq; exortum vidimus una

Persæpe, ut paruum tranans geminauerit orbem.

Hic genus, & suram cum Chelis erigit altè,

Ipse autem præceps obscura nocte tenetur.

Dum Nepa, & Arcitenens inuisant lumina cæli.

Nam secum medium pandet Nepa: tollere vero

In cælum totum exoriens conabitur Arcus.

Hic tribus elatus cum signis corpore toto

Lucet: at exoritur media de parte Corona,

Caudaq; Centauri extremo candore refulget,

His ipsis vasto surgentibus æquore Chelis.

Hic se iam totum cæcas Equus abdit in Umbras.

Quem rutila fulgens pluma præteruolat Ales.

Occidit Andromedæ clarum caput: & ferapistrix

Labitur, horribiles epulas funesta requirens.

Hanc contra Cepheus non cessat tendere palmas.

Illâ usq; ad spinam mergens se cærule condit:

At Cepheus caput, atq; humeros, palmasq; reclinat.

Cum vero vis est vehemens exorta Nepai,

D

Mergi-

Mergitur Oceano curuis anfractibus annis.
 Hæc eadem exoriens magnum fugat Oriona.
 Pace sua hæc me Virgo velit Latonia sari,
 Haud commenta mihi: namq; euo nata priore,
 Late fusa volans per terras fama vagatur.
 Vt quondam Orion manibus violasse Dianam
 Ausus sit, celsis errans in collibus amens,
 Quos tenet AEGæo defixa in gurgite Chios,
 Bacchia quam viridi conuestit tegmine vitis.
 Ille feras vecors amenti corde necabat,
 Oenopionis auens epulas cænare nitentes.
 At verò pedibus subito perculsa Diana
 Insula discesit, disiectaq; saxa reuellens
 Expulit, & cæcas lustrauit luce lacunas.
 Equibus ingenti existit cum corpore præ se
 Scorpius infestus, præportans flebile acumen.
 Hic valido cupidè venantem perculit ictu,
 Mortiferum in Venas fingens per vulnera virus,
 Ille graui moriens constrauit corpore terram.
 Quare cum magnis sese Nepa lucibus effert,
 Orion fugiens commendat corpora terris.
 Tum verò fugit Andromeda, & Neptunia pistrix
 Tota latet: cedit conuerso corpore Cephæus,
 Extremas medio contingens corpore terras.
 Hic caput, & superas potis est demergere partes,
 Infera lumborum nunquam conuestiet Umbra.
 Nam retinent Arcti lustrantes lumine suras.
 Labitur illa simul gnata m lachrimosa requirens

Cassiopeia, neq; ex cælo depulsa decorè
 Fertur: nam verso contingens vertice primum
 Terras, post humeris euerſa ſede recedit,
 Hanc illi tribuunt pœnam Nereides alma:
 Cum quibus, ut perhibent, auſa eſt contendere forma.
 Hæc obit inclinata: at pars exorta Corona eſt
 Altera, cum caudaq; omnis iam panditur Hydra.
 At caput & totum ſeſe Centaurus opacis
 Eripit è tenebris, linquens veſtigia parua
 Antepedum contecta: ſimul cum lumina pandit,
 Ipſe ſeram dextra retinet. Prolabitur inde
 Anguitenens capite, & manibus: profert ſimul Anguis
 Iam caput, & ſummum flexo de corpore lumen.
 Hic ille exoritur conuerſo corpore Nixus,
 Aluum, crura, humeros, ſimul & præcordia luſtrans.
 Et dextra radios lato cum lumine iactans.

Inde Sagittipotens ſuperas cum viſere luces
 Inſtitit, emergit Nixi caput: & ſimul effert
 Seſe clara fides, & promit corpora Cephæus,
 Feruidus ille Canis toto cum corpore cedit,
 Abditur Orion, obit & lepus abditus umbra:
 Inferiora cadunt Aurigæ lumina lapſu,
 Crus, dextrumq; pedem linquens abit infera Perſeus
 In loca: tum cedens à puppi linquitur Argo.

Inde oriens Capricornus ab alto lumine pellit
 Aurigam, inſtantiemq; Capram, paruos ſimul Hædos,
 Et magnam antiquo depellit nomine nauem.
 Obruitur Procyon, emergunt alite lapſu

Altiolanſq̄ Olor, & claris Aquila ignibus ardens.
 Et Volucris terris exiſtit clara ſagitta,
 Sedesq̄ hymbriſeros Ara decliuſ in Auſtros.

Ex oriente autem ſigno radiantis Aquarij,
 Oſq̄ pedesq̄ mari profert ſimul acris equi vis,
 Parte alia nox ſtelliſanti circumdat a palla,
 In loca Centaurum longa trahit infera cauda:
 Sed caput, atq̄ humeri, peduſq̄ renititur ardens,
 Partibus extremis cedentibus: Hydra quoq̄ ingens
 Primorem colli ſpiram, & caput omne reclinat,
 Parte ſui ſupera longè maiore relicta,
 Occubitura omnis cum ſemifero Centauro,
 Oceano piſces ubi primum lumina tollent.

Piſcis item ſubter Capricorni ſidere clarens,
 Piſcibus in ſuperas cæli nitentibus auras,
 Incipit apparere, ſequentis proxima ſigni
 Aſtra manens lentus. Sic Andromedæ quoq̄ triſtiſ
 Brachiaq̄, ardentesq̄ humeri, ſtelliſataq̄ crura,
 Omnia diſpertita, mari referuntur Eoo:
 Dexteriora vehunt piſces in culmina cæli,
 Lauam Aries partem pallentibus eripit umbris,
 Cum primum obſcuras euadit & ipſe tenebras.

Arietis exortu Notialem ſtinguiet Aram
 Heſperiiſ cernes in partibus: oppoſito autem
 Cardine tantum humeros ſurgentiſ in æthera Perſei,
 Aſpiciſesq̄ caput: nam balteuſ haud liquet, utrum
 Ariete cum extremo, an Tauro ex oriente niteſcat,
 Qui cum ſe totum profert in lumina Perſeus.

Sed neq̄

Sed neq, sub terris, Tauro surgente, moratur
 Auriga: heret enim cum membris illius aptus.
 Hoc astro tamen haud potis est emergere totus:
 Cum geminis demum pleno se corpore tollit.
 At tenues hædi, & leuæ vestigia plantæ,
 Ipsaq, Capra truci cum Tauro vadere pergit,
 Quando itidem dorsum Pistricis, & Ultima cauda
 Existit terris: Tum primo cedere signo
 Incipit Arctophylax, quarto demum occubiturus,
 Excepta leua, quæ magnam fulget ad Vrsam.

Cum vero ad genua vsq, pedes demerferit undis
 Anguitenens, superas Geminos tum visere lucas
 Certus eris: neq, diuidua amplius effera Pistrix
 Parte micat, parte obscura sub nocte latefcit:
 Sed totam integro proferris corpore cernes:
 Tum primos fluuii flexus consurgere terris
 Nautamari puro videat, vigilantibus ipsum
 Oriona manens oculis: Ut eo indice solers
 Coniiciat noctisue modum, cursusue peracti:
 Plurima namq, modi istius mortalibus agris
 Signa dii posuere in summis ætheris oris.

Nonne vides, tenuis cum fulsit cardine luna
 Occiduo, primos tibi mensis ut indicet ortus:
 Cum vero tantum crescens collegerit ignis,
 Ut iam tum queat aucta creandis sufficere umbris,
 Quartum succendisse loquetur in æthere lumen:
 Octauum properare diem, cum fulserit orbe
 Dimidio: cum plena nitet, medium ignea menssem

Nempe secat: semperq̄ adeò, diuersa priori
Apparens, mensis quota sit lux quæq̄ fatetur.

Extremas noctis metas bis sex tibi signa
Zodiaci pendent: cum uerò aut uertere terram,
Conueniat uenouas scrobibus committere plantas,
Hæc quoq̄ digestis monet æther lucidus astris.
Ipsi adeò nautæ, uolitantes equore uasto,
Aduentantem hyemem, tempestatesq̄ sonoras
Præsciscunt, nunc Arcturum sublime uolantem,
Nunc alia æternis seruantes sidera flammis:
Vel cum consurgunt Eoo manè profundo,
Vel cum Atlantæo merguntur uespere ponto.
Namq̄ hæc, dum iugi determinat annua cursu
Tempora, flammigero Sol cuncta perambulat axe:
Nunc has accedens, nunc illas ordine stellas:
Vel quando exoritur, vel quando mergitur undis:
Ut stella auroram noua semper quanq̄ salutet,
Participentq̄ omnes radiati lampade Solis.
Tutemet hæc adeò per te deprenderis ipse:
Quippe notis tabulæ uisuntur grandibus, unde
Viginti complexæ orbes Phæbi alti uolantis.
Et quantum ab Zona, dum totus cedit Orion,
Cedat & ipse Canis, uolucris nox uersat Olympo.
Quin stellæ, quas uel Neptuni nomine dignant,
Vel quas obtinuit Iouiales dicier usus,
Sunt quasi agendorum, si contemplere, magistræ.
His tu naua operam: uastumq̄ per equor iturus,
Cura, ut perdiscas, ecquæ nam signa procaces

Praueniant Austros, impendentefq; procellas.
 Hac sanè exigua citò pernoscentur opella,
 Sed non exiguos producunt cognita fructus.
 Namq; tua primùm prospexeris ipse saluti,
 Deinde alios serues, metuenda nunctius horæ.
 Sæpè ratem portu, quantumuis nocte serena,
 Condit ventura diffidens nauit a luci.
 Namq; aliàs pelagi lux tertia commouet ætus:
 Interdum quintus mare turbat lucifer: est cùm
 Vis inopina mali incidit, & maria omnia perflat.
 Namq; viris nondum est satis explorata Iouis mens:
 Multa etiamnum ignorantur, falluntq; sagaces,
 Quondam inuestiganda: Iouis si certa voluntas
 Adfuerit: namq; ille hominum res curat aperte,
 Ipsemet incurrens oculos, euentaq; signans.
 Quorum alia ex luna, seu dimidiata feretur,
 Alterutra ex parte, seu pleno fulserit ore,
 Coniicies: alia ex sole ipso, nunc oriente,
 Nunc sub aquas rursum fessis labente quadrigis.
 Nec minus ex aliis rebus quoq; siue diei,
 Seu noctis spacio, fas coniectare futura est.

Primùm autem obserua contractam in cornua lunã,
 Namq; aliàs alio flammescere visitur igni
 Primigena, & vultus nunc hos, nunc induit illos,
 Tertia ubi exoriens, vel quarta crepuscula vidit.
 Ex iis tu instantem poteris deprendere mensẽ.
 Nam si pura nitet, cùm tertia vespere fulsit,
 Puros portendit Soles: rubicunda furentes

Prædicit Ventos: sin quarto crassior ortu,
 Obtusisq; poli per inania cornibus ibit,
 Aut Austro, aut veniente hebetatur debilis hymbri.

Tertia consurgens, si tum nec cernua nutat,
 Nec resupina iacet, sed rectis cornibus astat,
 Occiduos nocte exacta monet adfore Cauros.

Quòd si quarta etiam vultus conseruet eodem,
 Ingens tempestas glomerabitur æthere toto.

Cornu procumbens summo, gelidos Aquilones:
 Egelidos contra resupinam inabitur Austros.

Quòd si contingat rubido claudi orbe trilucem,
 Dira sequetur hyems: & quo rubricundior illa
 Fulserit, hoc maior tempestas àera verret.

Obseruabis item plenamq; suiq; carentem
 Dimidio lunam, crescentem æquè, atq; caducam:
 Eiq; colore eius mensis momenta notato.

Pura serenorū præsaga est quippe dierum,
 Rubra feret Ventos, maculosa, & decolor hymbres,
 Nec tibi signa dies quadrabunt omnia in omnes:
 Sed quæ tertia lux, vel ab ortu quarta monebit:

Vsq; ad dimidium rectè obseruaueris augmen.
 Augmen dimidium plenum præsigit ad orbem,
 Orbis item plenus, dum pars facis altera desit,
 Huic demum Vieti respondent Ultima mensis.

Fit quoq; ut æris claudatur luna coronis,
 Nunc tribus, interdum geminis, modò simplice tantum.
 Simplex flabra notat Ventorum, & pura serena.
 Rupta quidem flatus Ventorum, marcida sudum.

Sin fuerit duplex, hyemem protendit atrocem,
 Maioremq; etiam triplex: tum si magis atra,
 Atq; interrupto diuulsa appareat orbe.

Atq; hæc luna suis præfagit menstrua signis.

Solus sit quoq; cura tibi perdiscere morem:

Solis sunt rata signa: mari seu promit Eoo
 Purpureum iubar, Hesperius seu condit in Undis.

Ne picturato surgens tibi candicet orbe,

Cum puræ indigeas, defecatq; diei:

Neue ullam ferat aspersus labemue, notamue:

Sed liquidus totus, genuinoq; ardeat igni.

Quòd si candorem retinebit vespere eundem,

Et nulla sub aquas contactus nube recedet,

Mane reuenturus vultu promittit eodem,

Acturusq; diem cælo vernante serenum.

Nequaquam verò, quasi concavus æquore surgens,

Spondet idem: neq; cum in Boreamq; Austrūq; reflexis

Splendescit medius radiis: nam tum venientes

Prædicat ventos, multoq; obnoxius hymbri est.

Quòd si Sol oculorum admittat lumina, Solem

Contemplare ipsum: sol est certissimus index.

Nam rubet interdum, nubes quo more rubescunt,

Interdum nigricat: nigricanti sit comes humber:

At ruber apparens annularum flamina portat.

Si verò orbe color simul inueniatur uterq;

Et pluuia simul, et ventis miscbitur àer.

Cum densentur item, partemq; feruntur in unam

Stipati radii, surgente, cadenteue Sole,

Cum iubar nube oppressum, vel noctis ab umbris
 In caelum redit, aut e caelo noctis in umbras,
 Omnes tum pluvia campi, fossæq; natabunt.
 Aut ubi nascentem tenuis nubecula Solem
 Præuertit, radiisq; procul vibrantibus ipse
 Consequitur: neq; tum fueris securus ab hymbri.

Cum verò exoriens latum concreuit in orbem
 Luce hebeti, sensimq; minor super æthera scandit:
 Fas purum sperare diem: non secius, atq;
 Hymbri cum medio descendens in mare pallet.

Cum pluerit luci, occumbentem respice Solem:
 Hunc etenim nubes nigro si obscuret amictu,
 Ac nubem radij circum fundantur opacam:
 Ne nox illa quidem pluvia tibi transiet expers.
 Si verò Hesperus innubilus occidit undis,
 Vicinæq; rubent nubes: nox illa, dieq;
 Proximus immunis, liberq; feretur ab hymbri.

Turbidior cæli fuerit status, æthere ubi alto
 Languescent subito cadentia tela diei:
 Languescent ita, deperdentq; repente nitorem,
 Ut cum luna means Hyperionis officit orbi,
 Stinguuntur radii cæca caligine tecti.
 Sole etiam nondum exorto, cum per loca cæli
 Diuersæ rubro nubes fulsere colore,
 Haud sanè illa dies pluvia caritura videtur.

Primores itidem radii, Solem ante renatum,
 Si obscuri torpent: caligo densior hymbres
 Significat: Ventos præ sagit rarior æer.

Nec fer-

Nec ferrugineis incluso Sole coronis,
 Tempeſtas liquida eſt ſperanda, nitenſiſue ſerenum.
 Quoq; Urgent propius ſolem, peiuſq; nigreſcunt,
 Hoc maior vexabit hyems terramq; fretumq;
 Duplexq; apparens circus vehementior uno eſt.

Contemplator item ſurgente, cadenteq; Sole,
 Sicubi, quas Graci dixere Parelia, nubes
 Aut Borea, aut ex parte Noti, aut utring; rubeſcunt,
 Nec parui ſanè momenti hæc ducito ſigna.
 Nam cum utring; ſimul contingat nubibus illis
 Solem intercludi medium prope littus utrumuis:
 Plurimus immiſſis ruet ilicet hymbreſ habentis.
 Vna rubens tantum nubes, qua ex parte rubebit,
 Illa ex parte feret ventos: aliquando quoq; hymbrem.
 Hæc autem melius decliui Sole notantur:
 Sol obiens rerum eſt certiſſimus augur earum.

Aſt autem tenui qua candet lumine Phatne,
 (Nubes exigua eſt, iſto qua nomine fertur,
 Ventorum, iſtantisq; nec ipſa ignara procellæ)
 Obſeruanda tibi eſt calidi ſub ſidere Cancri.
 Hanc gemina circum paruo cum lumine ſtelle,
 Deiunctæ cubiti ſpacio viſuntur: in Auſtrum
 Altera declinans, Aquilanes altera ſpectans:
 Nomen Aſellorum ſeruant, medioxuma Phatne eſt.
 Pharne, quod noſtri præſepe vocare ſuerunt.
 Hoc cælo interdum ſtellant, atq; æthere puro,
 Diſparet ſubito: ſtelleq; utring; locatæ
 Vicina inter ſe parua diſcrimine fulgent.



Haud dubium est, quin tūm tempestas dira sequatur.

Si nigrescit idem, nubemq; imitatur opacam,

Et iuus interea fulgor tamen insit Afellis,

Hoc veniens itidem augurio portenditur hymbet.

Si Verò quasi per nebulam Borealis Afellus

Lumen iactet hebes, Notius Verò ardeat igni

Splendidiore, Notos expecta. contra Aquilones,

Si Notialis hebet, Boreali ardente, timeto.

Atq; etiam Ventos præmonstrat sepe futuros

Inflatum mare cum subito, penitusq; rumescit.

Saxa q; cana salis niueo spumata liquore

Tristificas certant Neptuno reddere Voces.

Aut densus stridor cum celso è Vertice montis

Ortus adaugefcit scopulorum sepe repulsi.

Canafulix itidem fugiens è gurgite ponti,

Nunçiat horribiles clamans instare procellas,

Haud modicos tremulo fundens è gutture cantus.

Nec minus ardeole, Volitantes æthere puro,

Aduentantibus obuertunt capita obuia Ventis,

Vndicole quoq; sepe anates, mergiq; marini

Exultant procul in sicco plaudentibus alis.

Montibus & summis nubes diffunditur atra,

Et Vieti florum natitant super æquore pappi,

Vento impendenti, & Versuris cerula flabris.

Quaq; per æstatem tonitrus, & fulgura surgent,

Parte sequunturos ab eadem collige Ventos.

Et cum nocturnæ labuntur ab æthere stelle,

Igneaq; à tergo relinquunt Vestigia tractim,

Venturos

Venturos testantur eodem tramite Ventos.
 Si vero aduersis signabunt aethera sulcis,
 Incertum unde, tamen non deerunt flamina ponto.

Est etiam interdum, ut Boreæ simul, & simul Euri,
 Atq; corusca Noti plaga fulguret, atq; Fauonii:
 Tum sane duplex nautis inceserit horror,
 Et pelagi trucidis, & venientis desuper hymbriis,
 Namq; eius fulgetra modi sunt omina aquarum.

Sæpe etiam, pluuia instanti, quasi vellera, nubes
 Miscentur cælo, duplexq; apparuit Iris,
 Et noua lucentem circumdedit area stellam:
 Sæpe & aues, siue in stagnis, siue equore degunt,
 Oblectantur aquis, atq; ultrò corpora mersant:
 Perspicuosq; lacus circum vaga fertur hirundo,
 Et leuiter summos delibat pectore rores.

Vos quoq; signa videtis aquai dulcis alumnae,
 Cum clamore paratis inanes fundere voces,
 Absurdoq; sono fontes, & stagna cietis.
 Sæpe etiam per triste canit de pectore carmen,
 Et matutinos exercet Acredula cantus.
 Fuscaq; nonnunquam cursans per littora cornix
 Demersit caput, & fluctum ceruice recepit,
 Increpuitq; hymbres inamæna voce morantes.
 Mollipedesq; boues spectantes lumina cæli,
 Naribus humiferum duxere ex aère succum.
 Formicæq; cauis prompserunt oua cauernis,
 Et muros pedibus centum scolopendra subiuit,
 Quosq; audis vermes terræ intestina vocari.

Pulli itidem, gallo soboles prognata parente,
 Rostellis teneras perpurgant ordine pinnas,
 Et querulas voces claris singultibus edunt,
 Qualis aquæ sonus est stillanti desuper hymbri.

Quinetiam corui, furesq; monedula, aquarum
 Omen habent: cum turmatim per inane vagantur.

Accipitrumq; strepunt ritu: Coruiq; seorsum
 Blesæ etiam guttas imitantur voce cadentes,
 Hymbri in aduentu: Quandoq; ¶ gutture pleno
 Vocales crociere, alarum non sine plausu.

Cortis aues quoq; nitentes in culmina tecti,
 Concutiunt alas: tum magno concita cursu
 Ad mare prona fulix properat clangore sonoro:

Quorum equidem cupienti hymbres prescire futuros,
 Nil contemnendum est: neq; si acrius, atq; suerunt,
 Spicula defigant muscæ, sitiantq; cruorem.

Labra nec ardentis si circum extrema lucernæ
 Fungi concrecant: neq; si acris tempore brumæ
 Flama lucernarum nunc recta insurgat in altum,
 Nunc cono instabili ampullas quasi fundat inanes.
 Nec si debilibus radiis hebes ipsa prematur.

Nec si anates æstate noua socia agmina iungant,
 Aut si ollas fragiles, igniq; calentia ahena
 Scintilla tenues lambunt: aut si, milii instar,
 Per cinerem igniculi, prunis ardentibus, albent.

Nam pluias etiam hæc, quantumis parua, minantur.
 At si radices fumans nebula integat imos
 Aerii montis, vertexq; innubilis exstet:

Spes est

Spes est haud fallax usurum te loue puro.
 Tum quoq; purus erit, tenuem cum littore summo
 Aspicias nebulam tendi, neq; in aëra sursum
 Niti: sed paulo mare supra extare quietam.

Cælo autem liquido venturæ signa procellæ
 Conuenit obseruare: ac turbato aëre rursum
 Indicia optati sunt vestiganda sereni.

Inprimis verò celso Præsepe notandum est
 Subiectum Cancro, nebulas cum primitus omnes
 Euasit: neq; enim, nisi nimbis ante fugatis,
 Et vanescenti iam tempestate, nitescit.

Lychni etiam placide ardentis, et noctua sera
 Nocte gemens, hyemis sunt argumenta caducæ.
 Garrula item cornix, varios cum gutture cantus
 Decedente die molitur: cumq; per agros
 Mutua responsant corui pluresq; coacti
 Vociferantur eò magis, atq; absentibus instant:
 Donec diuersis cæli de partibus ingens
 Confluxit numerus, motuisq; cubilia castris
 Ingenti clamore petunt, siduntq; per altos
 Arboris antiquæ ramos, alasq; remittunt.

Atq; grues etiam, luces instare serenas
 Persuasa, vnum omnes carpunt iter agmine longo,
 Difficiles reuolare, aut cæptos sistere cursus.

Cum verò nitidum stellarum lumen hebescet,
 Nec fulgorem illum nubes, alicundeue oborta
 Caligo eripiet, neq; candens Luna: sed vltro
 Clara repente suum deperdent astra nitorem:

Iam cum

Iam tum mitte dies animo Versare serenos :

Sed tempestates potius præsume futuras.

Nubibus omen idem est, cum pars persistet earum

Fixa loco, pars tendet iter, aliæq; sequentur.

Anser item pastum repetens clangore sonoro,

Indicium est hyemis certum: longæuaq; cornix

Noctu cornicans: tum seros Vespere cantus

Gracculus occæptans, fringillaq; manè canora :

Eq; mari passim fugiens genus omne Volantum,

Orchilus antra petens, sisasq; rubecula cautes,

Decedensq; suo festina monedula pastu.

Sed nec apes castris, magna impendente procella,

Audent ire procul: sed circum proxima quæq;

Pabula delibant florum, trepidæq; recurrunt.

Nec celsæ per inane grues longa agmina ductant,

Sed miscent iter ancipites, turbantq; cohortes.

Nec cum per sudum tella irrita fertur Arachnes,

Nec cum hebet accensus, nec cum agrè accenditur ignis,

Crede hyemi. Sed quis tempestatum omnia signa

Expediat? rerum cinis abiectissimus, Ultrò

Ipsè cohærescens sibimet glomeramine cæco,

Indicium niuis est: niuis argumenta futura

Lychni etiam præbent, omni cum ex parte minutum

Ardenti myxæ quiddam milii instar adheret.

Carbo itidem viuus venturæ est grandinis index,

Cum totus feruens, & puro lucidus igni,

Pertenuem nebulam cohibere videbitur intus.

Nec verò illicibus turgenti glande granatis,

Signa-

Signaue lentiscis sua desunt : Agricola autem
 Nil non obseruat partes intentus in omnes,
 Euentum estatis metuens, ancepsq; futuri.

Ergo ilex sætu, quantum satis, ubere turgens,
 Frigoris indicium, cæliq; humentis habetur:
 Fertior solito, vescaq; uberrima glandis,
 Squallorem cultis latè denuntiât agris.

Iam verò semper viridis, semperq; grauata
 Lentiscus triplici solita grandescere sætu,
 Ter fruges fundens, tria tempora moustrat arandi:
 Sic, ut quæq; suam comitetur aratio frugem.
 Quiq; erit uberior sætus, proscissio terra
 Temporis eiusdem frugum genere affluet omni.

Flos etiam scyllæ ter surgere succit in auras,
 Ex quo procliuè est itidem capere omnia messis.
 Nam quicquid lentisci in fructu obseruat arator,
 Hoc in flore etiam scyllæ deprenderit albo.

Crabronum quoq; cū autumno vis magna coorta est,
 Ante etiam, Hesperie quàm Pleiades exoriantur,
 Aduenturam hyemem, non falsus dixeris augur:
 Eius quippe modi frigus crabronibus instat.

Caprarum pariter matres, ouiumq; suumq;
 Cùm passim veneri indulgent, saliantq; maritos,
 Signum hyemis censetur item crabronibus æquum.
 Quòd si lentus amor serò pecora illa maritet,
 Res bene habent inopi: siquidem perflabilis Euro,
 Signa per hæc hyemem poterit sperare tepentem.

Maturante abitum grue, tempestiuus arator

F

Letatur:

Latatur: cunctatori faustissima tarda est:

Namq; Urget gruibus semper Vestigia bruma:

Si properant festina: pigris cunctantior instans.

Autumno fugiente boues, ouiumq; propago,

Si pedibus terram subigunt, Boreamq; tuentur:

Pleias occumbens adducet frigora sæua.

Quoq; magis terram fodiunt, & calcibus Urgent,

Hoc magis aspera hyems, magis & violenta sequetur:

Arboribus latè cladem, tenerisq; datura

Frugibus, Arctoa niue opertis omnibus agris.

At cùm crinitas ardescere in athere stellas

Conspicies, Unamue, duasue, aut iis quoq; plures,

Scito tibi iis signis magnos protendier æstus.

Nec cùm æstate noua, liquido circumflua ponto

Pabula linquentes, loca visunt arida terra

Condensæ Volucres, expertus gaudet arator:

Nam metuit messi, rapido ne sideris igni

Læsa seges Vacuis dominum frustretur aristis.

Ast hilaris canit, & letus per rura vagatur

Caprigeni pecoris custos, de gurgite vasto

Cùm Volucres certo ferri ordine Vidit easdem:

Prouentum niuei sperans hoc homine lactis.

Ars sua quenq; alit, & sua quenq; oracula ducunt.

Ex agnis venientem hyemem obseruare senuit

Pastor, festino cùm visunt pascua cursu:

Cumq; duces gregis, atq; ætas infirmior Unà

Cornibus implicitis ludunt, ac prælia tentant.

Cumq; subinde leuant repetito corpora saltu,

Mobilibusq̄ leues affectant cruribus auras.

Vespere item exorto stabula ad consueta reuerti

Cum rennuunt, herbisq̄ inhiant, pastore morantes

Ne quicquam crebris vsq̄ insectante lapillis.

Agricola ex bobus capiunt quoq̄ signa futuri

Hymbris: cum anteriora pedum vestigia lambunt,

Cumie cubant dextrum porrecto corpore in armum:

Aut decedentes pastu cum vespere tristi

Mugitu caulas, & septa antiqua reuisunt.

Nec spinas auide consectans ilicis atræ

Capra dies pueros spondet: nec si vsq̄ luto sus

Fæda volutetur, cænoq̄ exultet adepto.

Incomitatus item cum tristificos vlulatus

Integrat ore lupus: vel cum securus ad ipsa

Septa obuersatur, prædeq̄ cupidine frendet:

Tris adeò tibi sint suspecti ex ordine soles:

Namq̄ intra hoc spaciū consurgere turbida suevit

Tempestas: id quod tibi in omnibus obseruandum est

Signis, quæcunq̄ aut hymbres, aut fulgura cæli,

Aut portendere veloces sunt dicta procellas.

Nam si prima minus signis responderit Eos,

Proxima nequaquam, aut, ad summum, tertia fallat.

Nec mures, si quando leues conferre susurros

Cæpere inter se, & saltus iterare procaces,

Antiquos latuere hycemem, frigusq̄ ferentes.

Obseruatum etiam est, pedibus terram vsq̄ cauantem

Hymbres præfagire canem: præfagia cancris

Sunt eadem, quoties prorepunt fluminis aluco,

Obsidun-


Obsiduntq̄ altas armato corpore ripas.
 Mures Verò eadem nobiscum tecta colentes,
 Antra quieturi subeunt, stramenta q̄ versant,
 Cum tempestatem primum sensere moueri.

Harum, me monitore, nihil contempseris unquam:
 Vnoq̄ oblato, mox Vestigare memento
 Signum aliud: spem consensu firmare duorum
 Debemus: tribus inuentis dubitare vetamur.
 Semper Verò anni labentis signa notato:
 Atq̄ expende, utrum, stellis insignibus altum
 Euadentibus, aut rursus subeuntibus equor,
 Talis tempestas sese explicet aethere vasto,
 Qualem signa videbantur paulò ante monere.
 Obseruanda etiam sunt interlunia: nam tum
 Noctibus octonis mirè est variabilis àer:
 Luna nimirum nusquam apparente per auras.
 Hæc semper si in promptu habeas, semperq̄ tuare.
 Haud temerè ignores, dubius quid cogitet æther.

F I N I S.



9763
 1819



2818

